

8. Respondetur. Primò, cum D. Thoma citato loco, iusto lex non est posita, iusto tanquam durum onus quo gravetur, ac affligatur. Secundo, iuxta D. Chrysolomum, D. August. iustus non est imposta lex: nam ipsi maximè se conformant legi, amore iustitiæ, & obedientiæ, non timore minatur, ac pœnarum quibus iniusti, ac impii coarctantur ad illius observantiam. Ex his patet solutio ad confir. Si Spiritu ducimini, &c. Quia non coactione legis, aut metu pœnarum, quas lex minatur, & transgressoribus imponuntur, sed sponte ac proprio motu, & Spiritu facitis, quæ lex imperat. Aliter explicat D. Hier. Si Spiritu ducimini; hoc est Christi Spiritu repleti estis, non est sub lege antiqua, sed ab illius iugo, ac legalium onere liberi, & absoluti estis.

9. Argues secundò legislator non potest imponere obligationem in foro, in quo non habet potestatem inferendi pœnam, quæ illius fori propria est, sed legislator humanus non potest de conscientia ferre iudicium, cum hoc soli Deo sit reservatum, ergo non potest obligationem in conscientia ponere, ac proinde non potest obligare ad pœnam æternam. Et confirmatur, quia inferior non potest obligare in foro Superioris, forum autem conscientie, est forum Dei, & ideo dicitur D. August. cap. ult. quest. Forum Poli, quia Forum conscientie est forum Dei, seu cœli. Confirmatur secundo, quia nemo potest obligare, in eo foro in quo non potest habere cognitionem, cum non possit obligare, ubi non potest iudicare, l. de jurisdictione omnium iudicum. Homo autem habet cognitionem de conscientia alterius.

10. Respondetur distinguendo maiorem. In eo foro, in quo non habet jurisdictionem directam, vel indirectam, concedo maiorem; in quo habet saltem indirectam, nego maiorem quia legislator humanus, ut iam dixi, habet indirectam jurisdictionem in foro conscientie, quatenus cum eius obligatione, lex divina, & naturalis de servandis hominum mandatis sub pœna inferni obligat, quia posita obligatione in conscientia, fit ut transgressor incurrat in reatum pœna æternæ, ut si Rex pœnam, quam ipse solus potest imponere, dedit potestatem suis ministris ad imponendam. Ad primam confirmationem dic, quod homo potest obligare in foro Superioris, & Dei, ejus nempe auctoritate, ac ut ejus minister. Ad secundam confirmationem dicimus, quod aliud est actum de quo fertur lex esse cognoscibilem, aliud verò obligationem quæ ex tali actu resultat esse cognoscibilem. Primum est necessarium, non verò secundum; quia satis est, ut legislator videat actum quem imperat, licet pœnam, seu obligationem ad aliud forum pertineat, & satis est, quod videat legislator in suo foro, in foro externo obligare ad illum actum.

11. Argues tertio, ligare & solvere sunt connexa, & correlativa, ut constat ex c. Quod autem, de penitentia. Sed legislator humanus non potest solvere in foro conscientie, nec remittere culpam coram Deo, ergo nec ligare potest. Confirmatur ex D. Augustino contra Faustum, cap. 27, ubi ait, Peccatum esse factum contra legem Dei, ergo factum contra legem hominis non est peccatum.

12. Respondetur, ligare, & solvere non esse ita

inter se connexa, itant pertineant ad eandem potestatem: nam homo potest se voto obligare, & tamen non potest se à tali obligatione solvere; ergo etiam quamvis legislator humanus, ponat obligationem, ex qua resultat peccatum mortale, non requiritur, ut ipsum valeat remittere: nam ipse ponit obligationem ut Dei minister cuius est solum peccatum remittere. Ad confirmationem dic, quod quamvis homo immediate peccet contra legem hominis, virtualiter peccat contra legem divinam, & naturalem, prout præcipit, ac dicitur, obediendum esse Superioribus.

QUESTIO II.

An lex iniusta valeat obligare in conscientia?

SUMMARIUM.

- 13 De ratione legis est, quod sit iusta.
- 14 Ex quatuor capitibus lex potest esse iniusta.
- 15 Primo potest lex esse iniusta, quia est contra legem divinam ac bonum commune.
- 16 Lex si à principio est inutilis, & postea est utilis bono communi, tunc obligat.
- 17 Secundo lex potest esse iniusta ex defectu potestatis in legislatore.
- 18 Obediendum est legibus, ac sententiis latis à Tyranno, dum est in possessione pacificæ Regni.
- 19 Quod Tyrannus peccet in talibus ferendis tenent Lessius, & Suarez.
- 20 Contraria sententia verior, quod non peccet.
- 21 Solvitur obiectio contra hanc sententiam.
- 22 Tertio tunc lex cessat, quando cessat ratio, & fundamentum ponendi legem. Lex que fundatur in falsa præsumptione non obligat. Ibid.
- 23 Sententia data per testes in falsa præsumptione, non obligat.
- 24 Quarto lex poterit esse iniusta ex iniusta materia distributione.
- 25 Quamvis lex iniuste excipiat aliquas personas, non inde erit iniusta, si sit convenienti bono communi.

Manifestum, & apertum est, quod de ratione legis est, quod sit iusta, & id, quod præcipit iustum sit, ita omnes Theologi cum D. Thoma, 12. quest. 95. art. 2. & 4. & Canonistæ ad cap. Erit autem lex distinct. 4. ubi dicitur, quod lex sit iusta. Quod etiam probatur ex definitione legis, quæ dicitur recta ordinatio rationis ad bonum commune, Recta ordinatio rationis, quid bonum, & honestum præcipit, unde si ab his deficiat, erit lex iniusta, & inutilis.

Lex autem, seu præceptum multipliciter potest esse iniustum, ac iniquum. Primò ex parte rei præceptæ. Secundo ex parte legislatoris, præcipientis ultra suam potestatem. Tertio, ex parte subditorum. Quarto, ex parte materie, quæ multipliciter contingere possunt, ut magis explicabo.

Primò potest esse lex iniusta ex parte rei præceptæ

præcepta, quia præcipit aliquid contra legem divinam, ac naturalem, & tunc non est lex, nec obligat, quia ut dicitur Actorum 4. Præstat magis obedire Deo, quam hominibus. Deinde erit iniusta, si sit contra bonum commune, quia de ratione legis est, ut sit bonum commune, & quia ut dixi ex Apostolo in hac questione: Omnis potestas est à Deo; ac proinde omnis potestas, sive Ecclesiastica, sive civilis, datur in ædificationem, & non in destructionem. Potestas Ecclesiastica à Christo data est, ut à ministro suo, ac dispensatore, ac pastore ait ipse Petro, Pascite oves meas, Ioan. 21. Potestas civilis disponente Deo data est à populo, in sui bonum, & utilitatem.

Et ob hanc rationem nota, quod si lex ex se tendit in bonum commune, quamvis illud non intendatur à legislatore, lex est vera, & obligat; & illa intentio est extrinseca legi; & inde etiam si lex fuit inutilis à suo principio, modo tamen est utilis bono communi, servanda modo; & modo obligat, licet pro tempore, quo fuit inutilis, non obligaret, at vero modo cum sit utilis, obligat. Ita cum multis Doctoribus Bonacina tom. 2. disp. 1. de legib. q. 1. punct. 1. n. 12.

Secundò, Lex potest esse iniusta ex parte agentis, ac ex defectu potestatis, ut si legislator præcipiat rem bonam, ad quam non habet jus, nec potestatem præcipiendi. Unde Princeps, qui accepit potestatem à populo, hac conditione, ut hoc, vel illud observet; unde non potest ultra hanc facultatem datam aliquid agere, ut tenent Suar. 3. p. de leg. cap. 7. Becanus tract. 3. cap. 1. q. 1. n. 3.

De Tyranno.

Ex his oritur grandis difficultas, an legibus latis à Tyranno, obediendum sit; Respondetur affirmative, postquam ipse est in pacifica possessione Regni; nec à Republica expellitur; ita Salas alios referens disp. 10. sect. 3. num. 14. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 29. dub. 9. num. 70. Bonacina disp. 1. de legibus, quest. 1. punct. 7. §. 3. n. 12. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 14. n. 10. Et ratio est, quia dum Tyrannus est in pacifica possessione Regni, & non potest à Republica expelli ab illo, præsumitur à Republica dari ei potestatem ad bonam, & rectam illius gubernationem, ac proinde ad ferendas veras leges, ac sententias; alias omnia erunt in summa confusione, ac perturbatione, in destructionem, ac perditionem ipsius Reipublicæ;

Dices ergo, Tyrannus, dum tales leges condit, ac sententias fulminat, non peccat, cum utatur facultate, sibi à populo data. Consequens est falsum, quia talis potestas non est data à Republica voluntariè, sed coactè, ad redimendam suam vexationem, ac proinde usus illius illicitus est tyranno, sicut usus pecunie illicitus est usurario. Lessius citatus, & Suarez lib. 4. de legibus, cap. 10. num. 6. Tenent ipsum tyrannum peccate mortaliter.

Tamen opposita sententia semper mihi placuit, & eam sequutus sum in lectura hujus materie, anno 1633, & postea inventi, quod eam tradunt Salas, Bonacina, & Castro Palaus Sylveira Opuscula.

citati, quod nempe talis Tyrannus, in ferendis legibus, ac sententiis non peccet. Primò, supposita illa voluntate petitiendi in usurpatione regni, tenetur attendere ad bonum, ac conservationem, & pacem ipsius regni, atque illa maximè pertinent ad bonum, & conservationem regni, ergo illis ferendis non peccat. Secundo, supposita illa voluntate, quod velit persistere in regno, tenetur ipsi petentibus dicere, ergo dum satisfacit sua obligationi, non peccat. Tertio, quia posita illa suppositione, quod velit in regno persistere, peccarent subditi petendo, quia nemini licet malum, ut malum petere, nec alteri dare occasionem ad peccatum, at subditi non peccant petendo, cum nullum alium habeant à quo petant, cum illa maximè spectent ad bonum Reipublicæ, ergo nec subditi peccant, nec Tyrannus peccat.

Nec obstat, quod ipse Tyrannus involuntariè & coactè à Republica obtineat regnum, & obtineat potestatem ferendi leges, & sententias, quia talis potestas non cedit in bonum ipsius Tyranni, sed ipsius Reipublicæ, unde contrarium videtur in usurario, cuius datio immediate est involuntaria, & non cedit in utilitatem dantis, sed recipientis.

Tertio, Lex potest esse iniusta cum cessat ratio, & fundamentum imponendi legem, & præceptum; tum cessat obligatio ipsius legis. Ita Navarrus in summa, cap. 17. num. 284. & cap. 23. n. 62. Covar. in cap. Cum esses de testam. n. 9. & in epitome Decreti, 1. p. cap. 1. n. 9. Valquez 1. 2. disp. 83. cap. 2. & 3. Basilus de Leon lib. 5. de matrim. cap. 5. n. 6. & multi alii; unde lex que fundatur falsa præsumptione, est iniusta, & non obligat, & ratio est manifesta, quia tunc cessat ad æquatum finis legis, & præcepti, & consequenter ipsa lex cessat.

Quod multis exemplis potest declarari, v. g. si Calus in iudicio per falsos testes convincitur esse debitor Titii, & compellitur censuris ad solvendum, non tenetur solvere, tum quia destructo fundamento, destruitur tota res in eo fundata; tum quia in foro conscientie non habetur ratio præsumptionis, sed veritatis. Ita Navar. Valq. & alii auctores proximè citati. Item secundo, si aliquis facit privatus Officiis, seu muneribus, honorificis, eo quod descendat à parte condemnato, reputato criminoso, quia vel ipse per falsos testes fuit convictus, vel tormentorum metu, falso sibi crimen imposuit, & sibi veritas in contrarium conser, in foro conscientie, poterit uti suis Officiis, ac muneribus quia non tenent obedire illi sententiæ, quæ fuit fundata in falsa præsumptione. Ita Basil. de Leon. proximè citatus, n. 10. Emman. Rodrig. tom. Reg. q. 77. art. 3. §. Ex dictis. Castro Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 14. n. 12. §. Dico tertio ad finem. Nec obstat, si dicas, quod legislator procedit iuste quoad se secundum suam conscientiam, non tamen secundum rei veritatem, & ideo non obligatis ad tale documentum, quod in falsitate fundatur.

Quarto, Lex poterit esse iniusta ex materia ipsius legis, seu ex iniusta materie distributione, ut quando lex quibusdam imponitur, & non aliis, ad quos æque pertinet materia legis. Deinde etiam dicitur iniusta, quia subditis imponitur onus improporionatum causæ, seu

Motivo imponendi legem, ut si Princeps urgente necessitate, subditis impositum tributum excedens necessitatem supervenientem, Quia plerique de immunitate Ecclesie. Ubi precipitur restitui accepta super necessitatem causa & in pauperes erogari. Item etiam dicitur lex injusta, quando subditis inaequale onus, non servata debita distributione, ut si pauperi sine rationabili causa aequale, aut majus onus imponatur quam diviti. Ita Molina tract. 5. de justitia disp. 73. n. 2. Sylvest. verb. lex. p. 5. Clavis Regia lib. 3. c. 7. n. 3. Castro de lege penali, lib. 1. cap. 5. Nota tamen cum Suar. citato cap. 9. num. 14. Bonacina tom. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 3. Quod si lex sit utilis bono communi, & tamen exceptio, quoad aliquas personas sit injusta, non ex eo lex erit nulla, nec obligare cessabit eos, pro quibus lata est, quia illis proprie non fit injuria positiva imponendo illis tale onus, quia hoc de se non est malum, cum talis lex de se sit conveniens bono communi, ut suppono; si tamen ex quorundam exceptione alii graventur, quoad illum excessum, non obligabit lex obligabit tamen quoad illum, in quo lex est justa.

Molina. Sylvest. Clavis Reg. Castro. 25. Suar. Bonacina.

QUESTIO III.

Ex quibus principiis colligendam est legem humanam, graviter, vel leviter obligare.

SUMMARIUM.

- 26 Legislator humanus non potest in materia levi graviter obligare.
27 Res ex se ipsa potest esse levis, & gravis ex circumstantia.
28 Prima sententia affirmat quod lex non potest in materia gravi leviter obligare.
29 Secunda sententia negat de lege civili affirmat de Ecclesiastica.
30 Tertia & vera affirmat, quod utraque lex potest.
31 Probatur quatuor fundamentis, & n. 32.
32 Ponitur & solvitur primum argumentum; materia levis non est capax & gravis obligationis.
33 Secundum argumentum ad votum potest homo se leviter obligare, & n. 35. & 36.
34 Ad instantiam datur dispar ratio inter votum, ac juramentum.
35 Ad confirmationem ex voto oritur obligatio juxta intentionem voventis, & n. 39.
36 Ad tertium argumentum ex contractu ne sponsalium, ac ex voto solemnium potest oriri obligatio levis, ac ratione damni illati gravis, & n. 41. & 42.
43 Ex verbis legis maxime colligitur legis obligatio, & n. 44.
45 In Religionibus ex praxi, ac communi usu.
46 In Decretis Concilio um, ac Pontificum varia sententia, & n. 47. & 48.
49 Tamen in his verbis consideranda materia circa quam cadunt.
50 Quando lex potest interpretari de veniali, non est explicanda de mortali.
51 Ex materia, ac illius circumstantiis colligenda legis obligatio, & n. 52.

- 53 Ex poenis appositis in lege colligenda gravis obligatio, & n. 54. & 55.
56 Quando dubitatur de gravitate quomodo intelligendum.

Resolutum est in superioribus, legem humanam obligare in conscientia; restat modo inquirere, ex quibus principiis, seu regulis talis obligatio colligenda sit quod pro multis casibus resolvendis est valde utile, & non loquimur de contemptu legis: nam hoc interveniente in quacumque materia, legis violatio erit peccatum mortale.

PRIMA REGULA.

De intentione Legislatoris

Convenient Theologi legislatorem, sive Ecclesiasticum, sive civilem non posse in materia levi obligare sub mortali, ita communiter Theologi Corduba, Valentia, Salon, & alii, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 1. in Decalogum, cap. 4. num. 4. Valquez 1. 2. disp. Sanchez, put. 158. cap. 4. num. 3. Salas disput. 14. de legibus, disput. 10. sect. 6. num. 3. Lorca disput. 2. §. 4. sententia. Diana part. 3. tractatu 5. Resolut. 24. & tractatu 6. Resolut. 9. §. Notandum. Probatur, quia lex debet esse justa, & in bonum commune, atqui lex justa non potest in materia levi ex omni circumstantia graviter obligare, ergo non obligat. Major, & consequentia patent; Minor probatur, quia lex ut sit justa, ejus obligatio ad culpam, debet proportionari cum materia, in quam tendit. Confirmatur, quia lex aeterna, divina, ac naturalis, non obligant graviter in materia levi, ergo nec lex humana, cum sit participatio legis aeternae, ac divinae.

Advertunt tamen Basilius de Leon lib. 5. de matrimonio, cap. 5. num. 11. & Palas tom. 1. tractatu 3. disp. 1. punct. 14. num. 13. §. Ex hac conclusione. Quod contingere potest, ut res ipsa sit levis, tamen ex circumstantiis poterit fieri gravis, ut ne in Conventu dormitorium sit in tenebris, prohibeatur sub obedientia ne oleum ex lampade sumatur, quae obedientia obligabit ad mortale ex circumstantia, sicut ne Religiosi in cellulas ingrediantur ad observationem majorem silentii, & ad aliqua alia incommoda evitanda; si tamen materia omnino ex omni circumstantia sit levis, & superior ponat obligationem sub mortali obligabit tantum sub veniali, ut tenet Suarez lib. 3. de leg. cap. 26. n. 6.

Tota difficultas est, an in materia gravi ex sua natura legislator possit ponere obligationem levem, in qua re est triplex sententia. Prima, & negativa ait quod lex humana in materia gravi non potest leviter obligare. Ita Valquez 1. 2. disp. 158. cap. 4. num. 32. Aragonius 2. 2. quest. 62. art. 3. in dubio post. 3. conclus. notabil. 3. Salon, tract. 2. §. Refert auctem. Reginald. lib. 15. num. Becan. tract. 3. cap. 6. quest. 3. num. 10. Lorca proxime citatus probabilem judicat.

Secunda sententia, quod lex Ecclesiastica potest leviter in materia gravi obligare; at lex civilis, in materia gravi, necessarii graviter obligat, quia lex Ecclesiastica obligat

gat propria jurisdictione datis Praelatis Ecclesiasticis a Christo Domino. At lex civilis obligat ex jure naturali, quod in materia gravi graviter obligat. Ita Soto lib. 1. de justitia p. 6. artic. 4. post medium in responsione ad 3. Argumentum Rodrig. tom. 2. q. 15. art. 1. Philarchus de Officio Sacerdotis, p. 2. lib. 3. cap. 2. conclus. 5. & alii.

Tertia sententia, & vera, quae nobis placet, tenet legem humanam, tam Ecclesiasticam, quam civilem posse leviter obligare in materia gravi. Ita, Cajetanus, Medina, Navarrus, & alii, quos citant, ac sequuntur Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 9. num. 6. Suar. 3. de legibus, cap. 2. num. 6. Clavis Regia tom. 1. lib. 3. cap. 7. Valentia tom. 2. disp. 3. quest. 5. punct. 6. Salas disput. 14. sect. 7. num. 3. Bonacina disput. 1. de legibus, quest. 1. punct. 7. §. 4. n. 23. Filiucius tract. 2. 1. cap. 11. num. 241. Diana part. 3. tract. 6. Resol. 91.

Probatur primo, quia in moralibus actus non excedit intentionem agentis, l. Non omnes, ff. si certum petatur, l. si quis nec causam, ff. nec lex, excedit intentionem legislatoris, ergo si legislator, in materia gravi intendat ponere obligationem levem, solum leviter obligabit. Secundo, & fortiter, Regulae sacrarum Religionum Praedicatorum, Eremitarum sancti Augustini, Carmelitarum, Societatis Iesu, praeter ea, quae pertinent ad tria, vel quatuor vota substantialia, non obligant graviter, sed leviter, & ad veniale, & tamen tales regulae multa gravissima praecipunt pro statu religioso, ut jejunium certis diebus, ergo tales leges in materia gravi possunt leviter obligare.

Probatur tertio, contra secundam sententiam, quia lex civilis licet obliget ex jure naturali; obligat tamen juxta intentionem agentis, ergo si agens solum leviter intendit obligare, solum leviter obligabit. Probatur quarto, quia lex Canonica non solum obligat ex commissione facta a Christo Domino, sed etiam ex jure naturali dictante superioribus esse obediendum, quod etiam militat in lege Ecclesiastica; quae ut fatentur Auctores secundae sententiae, potest leviter obligare in materia gravi; ergo etiam lex civilis cum obliget ex jure natura.

Argues primo, pro prima sententia. Legislator in materia levi non potest ponere obligationem gravem, ergo nec in materia gravi obligationem levem, non enim minus videtur voluntas in uno casu quam in alio. Respondetur negando consequentiam, in priori voluntate, non datur capacitas materiae; materia levis non est capax obligationis gravis, & ideo excedit potestatem praecipienti, alias injuste praeciperet. In priori autem voluntate datur capacitas materiae, ut graviter, vel leviter praecipiat, & ideo absque injuria utrumque potest praecipere quidquid sit de stultitia talis voluntatis: nam imprudencia Principis in lege ferenda non facit legem injustam. Deinde legislator valde prudenter se potest haberi in hoc negotio, quia dirigere vult suos subditos ad bona observantiam, ac directionem, & tamen non vult eos graviter obligare in conscientia.

Argues secundo, nullus potest obligare se voto in materia gravi sub veniali; ergo nec legat

gillator praecipere in tali materia sub veniali. Consequentia est bona; antecedens probatur, quia licet vovere dependeat a voluntate humana, tamen facto voto, obligatio non oritur a voluntate humana, sed a lege naturali, graviter obligante: Redde vota tua Deo, sed illa lex sub mortali obligat, ergo & votum. Confirmatur primo. Facto voto non est in potestate voventis nolle se obligare: nam obligatio oritur ex natura ipsius voti, ergo non est in ejus potestate magis, vel minus se obligare. Confirmatur secundo, quia si vovens, & vovens promittere Deo, non advertat, nec faciat intentionem de gravi, vel levi obligatione, ad mortale obligatur, ergo talis obligatio oritur ex natura ipsius voti.

Respondetur, ut jam dixi supra Resol. 3. de Tertiariis, q. 6. n. 41. cum multis, gravissimis Doctoribus, votum etiam in materia gravi ex intentione voventis, posse leviter obligare, quia votum est veluti quaedam lex particularis, quam homo sibi imponit, legislator autem in materia gravi, potest etiam leviter obligare, ita etiam vovens; quia leviter se vult obligare; & patet in Religioso vovente Regulam, quae praeter tria vota, solum ad veniale obligat; quamvis verum sit id, quod dicitur in argumento, quod obligatio voti non oritur a voluntate voventis, sed a jure naturali, tamen ita oritur a tali jure; ut sit juxta intentionem voventis, quia vovens non se offert Deo sub omni obligatione, sed tantum diminutive sub levi.

Instabis. Non est in potestate jurantis rem gravem promissam velle jurare, & non graviter se obligari, etiam si hoc non intendat, ergo similiter non erit in potestate voventis, non se graviter obligari. Respondetur primo, quod homo potest habere animum jurandi; non tamen se obligandi; & tunc non datur obligatio ex vi juramenti, quia Deus acceptat juramentum juxta intentionem jurantis, cap. Humane aures, quest. 22. distinct. 3. & multi Doctores, quos citat, ac sequitur Bonacina disputat. 4. de juramento, quest. 1. punct. 7. num. 3. Respondetur secundo concedo antecedens, nego consequentiam, est dispar ratio: nam votum est per respectum ad hominem volentem se obligare juxta intentionem; juramentum autem sit per respectum ad Deum, ad decedendo ipsum in testem, & fidei jussorem ad confirmandam veritatem, contra auctoritatem, & honorem divinum est, ut ipse Deus adducatur in testem, & fidei jussorem alicujus rei, cui creatura non maneat graviter obligata, ut ea adimpleat, eique factis faciat.

Ad primam confirmationem dic primo, quod satis est probabilis opinio, quod potest quis vovere absque animo se obligandi, & tunc ex vi voti non datur obligatio. Sanchez lib. 4. Decalogi cap. 1. num. 26. Respondetur secundo, quod ex voto facto oritur obligatio juxta animum voventis. Ad secundam confirmationem dicimus, quod talis homo vult se obligare graviter, ac ad mortale, quia, qui sic vovit, virtualiter vult vovere juxta consuetum modum vovendi, consuetus autem modus vovendi, est obligare se graviter; si vero talis vovens ignorat consuetum

Soto. Rodrig. Philarch. 31. Cajetan. Medina. Navarr. Sanchez. Suar. Clavis Reg. Valentia. Salas. Diana.

Regula Religio.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

Sanchez.

modum